

No. 336. 1303. 11. März.

P. Bonifacius VIII. beauftragt den Probst von Sulza, die unbekannten Personen, welche zur bischöflichen Tafel gehörige Besitzthümer und Urkunden verborgen halten, in den Kirchen zur Herausgabe derselben aufzufordern, im Falle der Nichtbefolgung aber mit der Excommunication wider sie zu verfahren.

Bonifatius episcopus servus servorum dei dilecto filio . . praeposito ecclesiae in Sulze Maguntinensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster Albertus episcopus Misnensis, quod nonnulli iniquitatis filii quos prorsus ignorat, decimas, redditus, census, terras, domos, prata, nemora, privilegia, instrumenta publica et nonnulla alia bona ad mensam suam episcopalem spectantia temere ac malitiose occultare et occulte detinere praesumunt, non curantes ea praefato episcopo exhibere in animarum suarum periculum et ipsius episcopi non modicum detrimentum, super quo idem episcopus apostolicae sedis remedium imploravit. Quocirca discretionis tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes huiusmodi occultos detentores decimarum, reddituum, censuum et aliorum bonorum praedictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per te vel per alium moneas, ut infra competentem terminum, quem illis ad hoc praefixeris, ex praedicto episcopo a se debita restituant et revelent ac de iis plenam et debitam ei satisfactionem impendant. Et si id non impleverint infra alium terminum competentem, quem eis ad hoc peremptorie duxeris praefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas, faciens eam ubi et quando expedire videris usque ad satisfactionem condignam solenniter publicari. Datum Laterani V. Idus Martii pontificatus nostri anno nono.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

No. 337. 1305. 30. Jan.

Probst und Capitel verpflichten sich zur Begehung des Jahrgedächtnisses des verstorbenen Domherrn Heinrich von Rochusen.

Nos Heinricus dei gratia praepositus, P. decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis, solo Alberto de Luppe excepto, notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod Hermannus dictus de Horreo capellanus domini Heinrici de Rochusen bonae memoriae quondam nostri concanonici nobis exposuit, quod cum ipse ultimam voluntatem domini sui praedicti, prout in mandatis recepit ab ipso, exequi cupiens et implere, non invenerat redditus aliquos annuos saltem certos quos comparet pro habenda ipsius memoria et anniversario peragendo; unde diligenter petivit a nobis, quatenus receptis decem marcis argenti ad hoc deputatis per ipsum, aliquam pensionem annuam assignaremus eidem. Nos igitur tam pio considerato desiderio, quo ad effectum perducto esset ecclesiae nostrae conditio emendata, pecuniam eandem a dicto Hermanno acceptavimus et recepimus in usus capituli nostri communes necessarios et